

XI. Illi vero qui in ipsa Synodo interfuturi sunt, moneantur ut ea sedulo curent observari, quæ per sanctum concilium Tridentinum in sessione secunda salubri decreto statuit, nempe de modo vivendi, et aliis in Synodo servandis.

XII. Decens est ut singulis quintis feriis à tempore indictionis Synodi usque ad finem, missa votiva de Spiritu Sancto celebretur, aut si impediatur dupliet festo, saltem de illo commemoratio fiat ab Episcopo et a singulis sacerdotibus, quoad ipsa Synodus absoluta et dimissa sit.

XIII. Cum autem prædicta Synodi dies appropinquaverit, ornabitur Ecclesia, ubi Synodus habenda est, festivo et solemniori ritu.

XIV. Sedes Episcopi collocabitur apud altare juxta inferiorem gradum, per quem ad altare ascenditur; et alia sedes in plano altaris.

XV. Disponuntur sedilia ut Dignitates et Canonici Ecclesiæ Cathedralis parati hinc inde sedeant à lateribus Episcopi, vel ante Episcopum semicirculum facientes, ac omnes alii assistentes in convenienti loco appareant.

XVI. In sessione vero et ordine proferendi vota observatum est ut Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiæ, cum capitulariter procedunt, præferuntur cæteris omnibus; deinde cæteri pro cujuscumque dignitate et gradu.

XVII. Pridie ejus diei quæ Synodus inchoanda erit, debent campanæ Ecclesiæ Cathedralis aliarumque Ecclesiarum, in eadem civitate existentium, solemniter pulsari a primis Vesperis, per totam diem, et ipsa die sequenti, quousque Episcopus ingressus fuerit Ecclesiam.

